

borum fructus aliunde advehuntur. **G.**
Quid ais de vinetis? **H.** His caret, quia
 qualitas terræ eorum culturæ parum
 congrua est. **G.** Quasnam habet pisca-
 turas? **H.** Nullas, nisi quantum fluvii
 amnesque præterfluentes suppeditant.
G. Adsunt etiam sylvæ? **H.** Unicam
 habet vicinam, quæ germanice dicitur
 die Bischoffs = oder Stadt = Au. **G.**
 Satis est: alid nos conferamus.

Colloquium Vtm.

De divisione urbis.

IONATHAN et KILIANUS.

- I.** In quot partes dividitur urbs Augu-
 sta? **K.** Communiter in tres partes,
 quarum prima pars comprehendit omnia
 aedificia à porta rubra usque ad curiam.
I. Quænam est altera pars? **K.** Cun-
 cta continens, quæ à curia usque ad
 portam Vindanam sunt sita. **I.** Quæ
 est tertia pars? **K.** Omne id comple-